



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De effectibus Judicialis confessionis, & revocatione ejusdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

potest, positio autem negativa, si non sit per circumstantias loci & temporis determinata, directe per testes probari non possit, ut infra dicitur, potest tamen quandoque Iudex suadente aequitate, si ita expedire videatur, positiones tales negativas admittere (cum aliter sepe causa expediri nequeat) quamvis cum clausula, *Salvo jure impertinentium vel non admittendorum*. Positiones alias admiserit.

Ad posteriorem quaestionem responderi potest, quod si quis crimen contingens causam principalem confiteatur incidenter coram suo Iudice, Reo tali tale crimen confitenti imponi quidem non possit poena ordinaria, uti colligitur ex *c. Quam sit. 9. De excessib. Pralato*. Possit tamen Iudex novum processum inchoare, & ex officio inquirere contra criminis, qui taliter suum crimen confessus est, & producere priorem confessionem de commisso crimine, ad probationem delicti, & poenam ordinariam inferendam, uti colligitur ex *c. Cum super 2. b. 2.* Ex quo Capitulo satis etiam colligitur, quod Pontifex ex plenitudine suae potestatis etiam possit, sine novo processu instituto, in casu criminis taliter incidenter affirmati, & cogniti ad ordinariam poenam imponendam procedere.

§. III.

De effectibus Iudicialis confessionis, & revocatione ejusdem.

Effectus judicialis confessionis principalis est, quod non tantum plene probet, cum nulla sit major probatio, quam proprii oris confessio, sed faciat etiam, ut confitens contra se habeatur

quodammodo pro iudicato, ita ut talis confessio habeat vim sententiae, & rei iudicatae quodammodo (sitem in causis civilibus) quoad ipsam confitentem. Et quamvis non debeat pro confitente talis confessio admitti, cum nemo in propria causa testis esse possit, aut fidem plenam faciat, quia tamen contra se nemo possumitur temere fateri, hinc recte dicitur, per eam tolli omnem juris & de praesumptionem, notorium induci, admittendam, ac audiendam etiam, quam in causa conclusum est, ita ut ea ferri possit sententia definitiva, quavis processus propter ordinem juris servatum nullus esset, neque regulariter taliter confessus appellare possit. Plurimi tamen affirmant, etiam in hoc casu propriae confessionis judicialis, sententiam Iudicis definitivam requiri, quae non debeat contra confessum in Iudicio, nisi iudicium semel captum per sententiam dirimendum sit, & Iudex super causa, qua cognovit, pronuntiare debeat, hinc recte dicitur quodammodo pro iudicato; & vim sententiae iudicatae hanc confessionem habere, quam sententiam requiri etiam post confessionem spontaneam Rei, in causis criminalibus, certum est.

Potest autem confessio a parte litigante in iudicio facta, revocari ab eodem, si in continenti haec fiat revocatio, a parte adversa nondum sit plene accepta confessio talis) quod enim per acceptationem adversario jus quaesitum habet invito hoc auferri non potest) ex intervallo vero revocari ea non potest, nisi error probetur, antequam sententia lata est.